HANSA-SCHULE

IN

BERGEDORF BEI HAMBURG.

IX. PROGRAMM.

OSTERN 1892.

INHALT:

1) DE DATIVI POSSESSIVI USU CICERONIANO PARS I. VOM OBERLEHRER DR. R. SCHENK[redacted]
2) SC[redacted]NACHRICHTEN. VON DIREKTOR DR. GROSS.

JENA,
FROMMANNSCHE BUCHDRUCKEREI
(HERMANN POHLE).
1892.

1892. PROGR. №. 127.

HANSA-SCHULE

IN

BERGEDORF BEI HAMBURG.

IX. PROGRAMM.

OSTERN 1892.

INHALT:

1) DE DATIVI POSSESSIVI USU CICERONIANO PARS I. VOM OBERLEHRER DR. R. SCHENK.
2) SCHULNACHRICHTEN. VON DIREKTOR DR. GROSS.

JENA,
FROMMANNSCHE BUCHDRUCKEREI
(HERMANN POHLE).
1892.

1892. PROGR. №. 127.

De dativi possessivi usu Ciceroniano pars I.

Scripsit

R. Schenk.

Prolusuris nobis scholae annalium tabulis munere aliquo literario non inutile visum est materiam quam Ciceronis libris pervestigatis congesseramus amplissimam ad possessivi quem vocant dativi usurpationem excutiendam conferre Ciceronianam. Sunt sane quae disceptamus si non levidensia aut minuta — an ulli quidquam disciplinae excolendae addi potest inaniter elaboratum? — at certe ea, quibus etiam in „arido quaestionum grammaticarum campo“ valere admoneamur vocem illam: *μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα.* Sed tamen plus una nos permovet causa, ut huic quod daturi sumus syntaxis Ciceronianae specimini primo non prorsus perditam operam nos impendisse confidamus. Magnopere enim pupugerat iam dudum animum quod, cum de universo tertii casus possessioni significandae inservientis usu mirum quantum inter se consentirent grammatici, nos quidem cum aliorum tum Ciceronis praecipue morem loquendi ab isto concentu non minus mirifice discrepare non persuadere nobis non poteramus. Atque nostro quidem iure hoc nos iudicavisse antequam nitamur, de ratione illa quae placuit grammaticis quaedam videntur breviter commemoranda. Declarat enim ipsa qua expressam invenimus legem ad dativum possessivum pertinentem formula adeo non quibus ea regionibus ac terminis contineatur constare, ut vel latissime eam patere pro certo ab omnibus habeatur. Accedit huc, quod neutiquam desideratur exiguus ille quidem sed non contemnendus numerus certus ac ratus exemplorum a principe scriptorum latinorum petitorum, quae quidem vel maxime necessaria existimare consueverint ad grammatica praecepta stabilienda. In usitatissimarum vero rerum numero quod dativi possessivi structuram ducendam opinantur, tanto vehementius videtur mirandum, quod quicumque curam adhibent sermonis latini indoli indagandae et quam firmissime constituendae non sunt nescii ratione illa qua exempla omnia ad unum operose collecta perpendantur empirica nonnulla vel eorum quae grammaticis nimis diu in deliciis tamquam fuerint [1]) praeceptorum eversa subito esse atque rescissa.

Ut nostra fert opinio, cum alii alia attulerint, a nullo dum tamen ita, ut ratione de qua modo mentio facta est empirica totam exemplorum facultatem examinaret, non modo paucorum sed ne unius quidem scriptoris iuvestigata est elocutio. Curiosius aliquanto ratione quae dicatur „a priori“ instituta structuram illam expedire posse sibi visi sunt genetivum potissimum possessivum in contentionis iudicium vocantes. Quod ut probe perspiciatur, legis ipsius qua de dativo possessivo praecipitur iter quasi et progressionem, id quod habeat etiam forsitan iucunditatis aliquid, diiudicare liceat enarrando. Enimvero perpauci, quamvis magnus sit grammaticorum chorus, explanatione omnino supersedent. Ita vel superiorum quorundam (Scheller-Döring, Bröder, G. F. Grotefend, A. Grotefend, O. Schulz) frustra exquiras declarationem ullam aut disputatiunculam. Maioris momenti est quod nostrae aetatis non desunt grammatici silentium tenentes. Nam cum Gallien [2]) praecise atque imperiosa quadam acrimonia praecipiat: Das deutsche „haben“ wird durch esse

1) Hoc in genere disputandi nuper non sine laude versatus est H. Anz, cum, quae viae ac rationis vere grammaticae documentum esset, hanc daret commentationem: Cicero's Sprachgebrauch in der Beziehung des gemeinsamen Prädikats bei mehreren Subjekten. Quedlinburg 1884.

2) Lateinische Schulgrammatik für die Schüler des Realgymnasiums. Nach Konferenzberatungen zusammengestellt. Berlin 1887.

mit dem Dativ übersetzt", tum Gossrau [1]), quem quidem permulto locupletiorem illo genuinae latinitatis auctorem esse nemo est qui diffiteatur, ne leviter quidem, quibus terminis dativi possessivi structuram circumscribendam esse censeret, significare voluit. Horum quos perstrinximus rationi patrocinari videntur nescio quo pacto ii qui librum proxime bonae frugis plenissimum composuerunt J. H. Schmalz et C. Wagener [2]). Pulchre videlicet dicta sunt et cuiusvis hominis grammatici animo infigenda ea quae E. Wölfflin praefationis loco libro illi praemisit. Dicit autem, ut unum locum ad verbum proferamus: „Vor allem aber müssen die Regeln nicht Polizeivorschriften gleichen, deren innere Begründung nicht immer sofort in die Augen springt (!?), sondern die ganze Sprachbehandlung soll sich auf klare und gesunde Grundsätze stützen; ist doch die Sprache selbst, die ein lebenskräftiges Volk geschaffen, auch eine gesunde." Talem quidem praecipiendi viam Schmalzium et Wagenerum ita ingressos esse, ut aliorum vestigia persequi neglegentes laudanda quadam subtilitate ac sollertia res grammaticas latinas adiuvarent, ne hoc quidem loco testificari desistamus. Vix enim negaverit quisquam, si qua sit eiusdem artis scientia, Schmalzium praecipue perbene meritum esse de syntaxi latina augenda atque illustranda. At quae prolata videmus de dativi possessivi ratione non contigisse ei ut acri iudicio subigeret aut certo facere non possumus quin doleamus: „Der Dativus possessoris in Verbindung mit esse giebt die Person oder Sache an, für welche ein Besitztum vorhanden ist, die also dasselbe hat oder besitzt." Tantum enim abest, ut in primarii praecepti formula acquiescere possimus, ut contra quod nec distincte nec distribute expressam eam legimus reprehendere debeamus. Adnotatiunculis autem subiunctis cancellos quasi quosdam virum doctum opinationi suae circumdedisse quamvis non infitiemur, tamen eos ipsos non satis angustos esse arbitramur. Leguntur enim haec: „Haben (besitzen) mit einem Object, welches bezeichnet 1) geistigen Besitz oder eine [geistige oder körperliche] Eigenschaft, wird durch esse mit dem abl. qual. oder durch esse, inesse in gegeben, 2) Verpflichtungen, Gewohnheiten, Neigungen u. ä. wird durch esse mit dem Genetiv oder dem stellvertretenden Pron. possessivum ausgedrückt, z. B. id est certi accusatoris [officium] hat die Pflicht etc."

Ceteri grammatici quid censuerint si quaerimus, rei eos plane explorandae ita, ut definitam aliquam usurpationis regionem dispicerent, studium navasse fatendum est. Velut Schottmüller-Putsche (1880) a dativo, quo possessio alicuius rei alicui daretur, verbo substantivo adiuncto ceteras huius casus utendi rationes manasse coniecerunt. Neque inutile sit, qui casus amplius et fata dativo possessivo inciderint, breviter significare. Est autem perspicuum, quotiescunque vel in unius eiusdemque libri grammatici editionum serie praecepti formulam mutatam invenimus, toties doctos homines ut tandem aliquando structurae naturam atque amplitudinem clariore in luce ponerent operam dedisse connitentes. Itaque libri illius in omnes pervulgati ab Ellendtio compositi novisque Seyffertii curis retractati (1867) editio septima hanc formulam exhibet: „Das deutsche Haben, Besitzen kann durch esse mit dem Dativ der Person gegeben werden, wenn ein wirkliches Besitztum oder etwas zu Teil Gewordenes und Überkommenes oder ein zufälliges Vorhandensein bezeichnet werden soll." Adnotatione autem subsequente singulares animi corporisque res proprias aliis structuris denotandas esse explicuit.

Fugit nos, num quo loco Seyffert, quibus causis inductus ea quae modo posuimus convellenda putavisset, exposuerit. Illud certe constat tam perversum fuisse tenorem praecepti, ut sero medicinam ei allatam esse habeamus quod demiremur. Nam neque definite descripta est tota sententia et secunda ac tertia condicio tantum abest ut inter se diversae sint ut contra idem h. e. possessionem occasione aliqua partam pluribus verbis significent. Quid? quod quid sibi velit omnino prima condicio, cum praesertim exemplo ad notionem rei involutae aperiendam idoneo careamus, incertum est! Qualem enim discipulos, quorum quidem causa talia scripta censeamus, possessionem sibi fingere putamus veram, qualem non veram [3])? Neque vero illud neglegendum

---

1) Lateinische Sprachlehre, 2. Aufl., § 283.

2) Lateinische Schulgrammatik, 1891, § 159.

3) Haec sic dicta per successionem quandam tradita invenimus. Scripta videmus iam in eo libro quem Billroth-Ellendt (1848) composuerunt: Esse c. dat. bedeutet allemal nur einen wirklichen Besitz körperlicher oder geistiger Dinge. Also richtig ist „est mihi virtus", aber nicht „est

est editionis undecimae (1871) — eas quae ad id tempus ad lucem prodierunt omnes nancisci non potuimus — hanc legi formulam primariam: „Das deutsche Haben, Besitzen kann durch esse mit dem Dativ der Person gegeben werden, wenn es darauf ankommt zu sagen, was Jemand besitzt, wenn also die Sache und nicht die Person des Besitzenden den Nachdruck hat.“ Quem sententiae tenorem quae secutae sunt editiones servaverunt, sed tamen ita mutatum, ut multo aptius sine dubio edd. XXVII (1883) et XXXIII (1889) pro „Sache“ exhibeant: „der Besitz“. Exemplorum copia, quae non longe dissimilia habuit fata, infra percensebitur. Nunc telam disputationis nostrae criticae perteximus. Itaque Seyffertii non solum ea ratio quae nunc constat quasi ac rata est aliis placuit, verum etiam alteram illam quam primo habuerat vir doctissimus minime reiectam esse liquido apparet. Quin etiam, si modo illud „occasione oblatum“ respicias, non ita multum a veritate deflectas, si singula genera rationum earum quae etiamnunc feruntur quamvis non nimis gravi discrimine seiunctarum Seyffertii definitionibus respondere suspiceris. Neque aliud ullum fere discrimen earum cernitur nisi quod maxime quid intersit inter dativum et genetivum possessivum cum verbo substantivo coniugatum disceptatur. Alteri enim (Weissenborn, Krüger, Menge, Kühner, Lattmann-Müller) dativum docent flagitari, si res possessa praedicetur, non possessor; alteri dativi structura possessionem occasione partam designari opinantur. Quo in genere est quod iam Ramshorn (1830) id quod „fortuitum est“ aut „extrinsecus venit“ accipi voluit. v. Gruber (1861) dativum verbo substantivo subiunctum sibi velle arbitratur: „das Verhältnis des Besitzes (!) wie der Genetiv das Eigentum“ nec praetermittenda videntur quae adnotatione huc quadrante monet: „Der Dativ und Genetiv sind hier ebenso verschieden wie im Deutschen haben und gehören: er hat das Buch — ihm gehört das Buch.“ Similia proferunt Ferd. Schultz, Meiring, Zumpt [1874 „äußerlicher Besitz, nicht Eigentum“]. Madvigii adnotatio haec habet: „Diese Ausdrucksweise wird gewöhnlich nur von demjenigen gebraucht, was für eine Person oder Sache als Besitztum oder gegebenes Verhältnis da ist, nicht von demjenigen, was ihr als Eigenschaft oder Bestandteil zukommt und gehört.“ Audiatur etiam Süpfle[1]) [„Bei dem Übersetzen aus dem Deutschen in das Lateinische ist die Verwandlung von haben in esse (!) auf solche Fälle zu beschränken, wo von einem Besitze die Rede ist, welcher aus gewissen Verhältnissen, Umständen, äußeren Einwirkungen einem zu Teil wird, für einen da ist, z. B. ich habe Geld, Bücher u. dgl.“]. Schmalzio autem alio etiam loco[2]) potestas facta est quid sentiret significandi. Praecipit enim: „Der Dativus poss. dient, um den sachlichen Besitz, und zwar den occasionellen zu bezeichnen. Sallust, der überhaupt für Dativkonstruktionen eine Liebhaberei hat, dehnte zuerst den Gebrauch auf geistige Eigenschaften (also dauernden oder eigentümlichen Besitz) aus, z. B. longe mihi alia mens est, und Vergil, Lucian, Tacitus, Curtius folgten ihm darin nach, z. B. sagt Curtius: erat Dareo mite ac tractabile ingenium.“ — Agmen claudat, ne satietatem habeant sententiae adnexae sententiis, Draeger[3]), qui ut assolet quae et ipse et alii collegerunt omnia disposite atque ita ut sub unum aspectum subiciantur pertractare satis habet; is nihil dicit nisi haec: „Dem Dativus commodi steht auch sehr nahe die Formel mihi est aliquid „mir gehört etwas an, ich habe etwas“. Die Grammatiker bemerken dazu mit Recht, daß bei Klassikern nur der sachliche Besitz, nicht eine Eigenschaft oder ein Bestandteil bezeichnet wird.“

---

mihi timor“. Fons autem, a quo haec repetenda sunt, is liber existimari posse videtur, cuius auctores Krüger-Grotefend (1842) sunt. Dicunt enim verbum substantivum numquam fere coniungi posse cum dativo possessivo, nisi vera possessio rerum corporearum vel corpore carentium intellegenda sit, iidemque ponunt locutionem illam singularem quam posteri amplexati sunt: „Est mihi timor“. — Cum formulam isto modo expressam tum exemplum libentissimo animo in usum suum convertit Berger (Lat. Gramm. 1870), cuius tamen rationem insigne esse documentum in rebus grammaticis tam „liberaliter de alienis“ quam perperam versandi permiro illo ex Iustini scriptis deprompto exemplo, cum „reges res corporeas esse“ somniet, satis demonstratur.

1) Praktische Anleitung zum Lateinschreiben, 1. Teil (1862), § 79.

2) Lateinische Grammatik (Laut- und Formenlehre, Syntax und Stilistik), bearbeitet von Dr. Friedrich Stolz und J. H. Schmalz (Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, herausgegeben von Dr. Iwan v. Müller, 2. Band, 2. Auflage, pag. 425).

3) Historische Syntax der lateinischen Sprache, 1. Band, 2. Auflage 1878, pag. 434.

At huic realis possessionis praedicationi vix suffragetur illud quod grammatici satis multi amplexantur exemplum: Croeso duo erant filii. Enimvero, quoniam rem huc deduximus, exemplorum penum in libris supra nominatis oblatum iustissima causa est quod castigemus. Neque enim quisquam reperiatur grammaticorum, quin huiusmodi commentis: est mihi domus, sunt mihi libri etc. dativum cum verbo substantivo copulatum ad possessionem significandam quam latissime patere videatur efficere. Structurae si tam ampla ut asseverant vis subiecta esset, quam quidem, etiamsi in possessionis realis angustias cogeretur, manere perspicuum esset, numerus exemplorum quae a scriptoribus peti possent ingens esset ac paene infinitus. Haberemus, si hoc ita esset, quod apud quemvis grammaticum peculiarem quendam ex omnium abundantia et copia delectorum exemplorum numerum legi atque, id quod gravissimum est, Ciceronianae imprimis elocutionis rationem habitam esse speraremus. Quid vero? Neque ab hac neque ab illa parte tali spei satisfieri affirmamus. Primum enim, si modo de exemplorum thesauri amplitudine cogitetur, grammaticos eam tectae cuiusdam mutuationis ac de alienis facultatibus sua augendi rationem sibi permisisse manifestum est, quae mirifice abhorreat a summo illo officio nihil nisi quae ipse observaveris atque collegeris ad librum grammaticum augendum conferendi. Quod officium cum pauci ut Schmalzius servaverint, ceteros tamen labore et contentione se fregisse nemo reperiatur qui contendat. Immo vero thesaurus quidam certus ac definitus eorundem exemplorum plerisque fere adrisit ita tantummodo inter se dissidentibus, ut, quaecunque hereditate illa cavillanda accepta sunt, partim parcius proferant, partim prodigius. Atque adeo ad cantilenas consuetudine diuturnas suopte modo decantandas proclives se praebent, ut vel ea quae ultro ac sponte finxerunt superiores, posteriores accipiant. Tale exemplum quale est: est mihi timor (Krüger, Billroth-Ellendt, Berger, Lattmann-Müller) iam perstrinximus. At ferri vix possunt quae etiam etiamque occurrunt ineptiae hae: regi ager est, patri domus est, aliae, quarum primum locum obtinet insulsum illud a Schellero et Döringio (1813) in lucem prolatum, G. F. Grotefendio auctore (1820) disseminatum: est mihi liber s. sunt nobis libri, ita tantummodo mutatum, ut dicatur: sunt mihi multi libri (O. Schulz, v. Gruber, Gallien, Berger, Zumpt) [1]).

Sed haec leviora. Illud multo gravius, quod in ipsorum scriptorum locis ponendis superioris aetatis grammaticos vestigiis persecuti sunt. Quod nostro nos iure iudicare ita evincamus, ut trita exempla uno in conspectu proponantur grammaticis simul nominatis ordineque historico observato. Qua ratione quin multum in meritis grammaticorum hoc certe in genere examinandis adiuvemur, nobis quidem extra omnem dubitationis aleam positum videtur.

1) Homini cum deo similitudo est (Cic. Leg. I, 25): B r ö d e r, R a m s h o r n, Weissenborn, Krüger, F e r d. S c h u l t z, M e i r i n g, M a d v i g, Menge, Berger, Süpfle, Schottmüller-Putsche, S e y f f e r t, Gossrau (apud eos, quorum nomina literis latius dispositis notata sunt, exemplum p r i m u m enumerationis locum obtinet).

2) Dives est, cui tanta possessio est, ut nihil optet amplius (Cic. Parad. VI, 1): B r ö d e r, R a m s h o r n, Weissenborn, O. Schultz, Meiring, Berger, Schottmüller-Putsche.

3) Quo minus honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt (Cic. Tusc. I, 3): Bröder, Ramshorn, Kühner.

4) Omnium societatum nulla est gravior quam ea quae cum republica est unicuique nostrum (Cic. Off. I, 57): Bröder, Ferd. Schultz, Meiring.

5) Nulla potest esse voluptati cum honestate coniunctio (Cic. Off. III, 120): Bröder, G. F. Grotefend.

6) Iam Troicis temporibus erat honos eloquentiae (locus est nimirum Ciceronis ita mutatus ut per se intelligatur. Ipse contextus hic legitur Brut. 40: Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus et Nestori, nisi iam tum esset honor eloquentiae). — Ea quam supra posuimus sententiae formula primo quod sciamus placuit Ramshornio, quem secuti sunt Ferd. Schultz et Madvig; ineptissimum vero est, quod Müller-Lattmann proferunt ex omni sententiarum nexu exemptum: iam tum erat honor eloquentiae.

---

1) Zumptium — per ludum et iocum hoc adnotaverim — quid impulerit ut eorundem verborum collocationem mutaret („sunt mihi multi libri, ich habe viele Bücher gleich habeo libros multos“), non facile intelligitur.

7) Controversia mihi fuit cum fratre tuo (Madvig: cum avunculo tuo).

8) Croeso erant duo filii (v. Gruber, Süpfle, Seyffert; cf. Madvigii exemplum: Sex nobis filii sunt).

9) Fuere Lydis multi ante Croesum reges (Iust. I, 7): Bröder, Berger.

10) An nescis longas regibus esse manus? (Ovid. Her. XVI, 166): Bröder, Ramshorn, Scheller-Döring, G. F. Grotefend, v. Gruber, Zumpt, Schmalz-Wagener, Gossrau.

11) Suos quoique mos (Terent. Phorm. 454): Bröder, G. F. Grotefend, Meiring, Berger, Kühner. Sincerus versus a Brödero ac Meiringio solis notatur: Quot homines, tot sententiae: suos quoique mos. — Ceteri habent: Suus cuique mos est.

12) Non semper idem floribus est color (Hor. Od. II, 11): Bröder, G. F. Grotefend, Seyffert.

Iam videre te spes est quo tendamus. Complura enim cognosci possunt ex illa locorum serie. Primum solis luce clarior est „liberalitas de alienis", qua exempla ab aliis delecta amplexati suos libros grammaticos ornaverunt, cui rei penitus perscrutandae ut fontes indagentur si quis tempus suum transmittat, quod quidem ut ipsi faceremus non contigisse nobis dolemus, quibusnam radicibus tamquam thesaurus ille locorum per manus traditus ortus sit, nullo fere negotio demonstrare possit. Quam tamen quaestionem criticam quoniam nemo adhuc suscepit, cum Ramshornii forsitan nonnulla esse putandum sit, tum Bröderum maxime iacentem illum in oblivione et a nostrae aetatis grammaticis contemptum permulta ex suo penu eisdem illis dedisse in propatulo est. Nulla autem re, quantum ei auctoritatis impertitum sit, magis perspicitur quam versus illius Horatiani quem exemplis supra inseruimus vitio mire propagato et quasi consecrato. Verba enim ipsius contextus prorsus alia leguntur: Non semper idem floribus est honor vernis. Verum postquam factum est, ut Bröder mutationem „color" comminisceretur, hanc pravam eius auctoris opinationem immortalem sibi reddendam esse existimaverunt.

Auctoritate vero ac dignitate ipsorum scriptorum quos laudaverunt cum vim ac praestantiam si qua sint exemplorum metimur, fieri non potest, ut minus stomachemur. Quid enim dicendum est, si omnes qui praecepta librorum suorum eorumque scholarum ad usum conformandorum exemplis ex optimorum latinitatis auctorum Ciceronis ac Caesaris scriptis petendis firmari volunt et aliquam quantulacunque sit ab hoc praecipiendi genere aberrationem vituperant, iidem in ipsius dativi possessivi usu illustrando Ciceronianis exemplis non plus ponderis quam Cornelii Nepotis, Iustini, imprimis poetarum locis tribuendum censent? Ac ne cuiusvis quidem generis (vide infra) leguntur exempla. Etenim quod apud Ciceronem (v. i.) vel saepissime occurrit „locus mihi est", eo uti unus ex omnibus voluit Bröder. Nec minus reprehendendum videtur, quod nemo fere exempla sua in ordinem aliquem ac rationem redigere studuit. An quemquam fugere potest, quantum inter se differant haec: sunt mihi libri, locus mihi est aliquid faciendi, controversia mihi est cum fratre tuo, Murena legatus L. Lucullo fuit (Gossrau)? Parum etiam dilucide perspicitur quanta sit regio structurae in disceptationem vocatae h. e., ut copiosius rem declarem, quanta omnino fieri possit multitudo exemplorum eo quod maxime varia sunt genera notionum nominativo et dativo expressarum (v. infra) atque etiam, id quod maximum est, satis multa sunt genera rationum inter dativum et verbum substantivum (v. i.) reapse intercedentium. Illud unum grammatici omnes fere (Seyffert, Süpfle, Berger, Menge, Draeger, Schmalz-Wagener, Madvig, Harre), cum Krüger realem possessionem corporearum et animi propriarum rerum teneat fundatam loco Hor. Sat. I, 4, 43 [ingenium cui sit, cui mens divinior atque os — magna sonaturum, des nominis huius honorem], confirmant dativum, quo intestina aut ad res animi proprias pertinens possessio indicetur, ita non esse idoneum, ut contra, si illa indicanda sit, circumscriptionibus quibusdam esse utendum arbitrentur.

Sed sit hoc satis reprehensionis; nolumus multi esse in larga quam dativus possessivus tulit opinionum segete perpendenda. Lucem iam petimus rei varie sed non satis feliciter tractatae ab eo, qui, cum rem non tenuibus lineis adumbraret sed acerrime expenderet, rationem indefessa in re difficillima diligentia ac subtilitate insignem, vix ut quidquam incerti relinquatur, professus sit. Haase[1]), cuius iam laudamus disputationem, quoniam quid intersit inter dativum et genetivum possessi-

1) Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft von Friedrich Haase, Band II, Bedeutungslehre (II. Teil), herausgegeben von Hermann Peter, Leipzig 1880.

vum significavit, tertio casu eam reperit exprimi possessionem, ut res aliqua aut esse aut facta esse sive contigisse dicatur. At genetivi possessivi eam esse naturam, qua perfecta iam possessio intelligenda sit, adeo ut quae possideatur res possessori peculiaris ac propria facta sit, quae ipsa (sc. possessio) notioni rei possessae inhaereat eamque ita necessario angustiorem reddat. Hanc igitur differentiam declarat vir doctissimus ipsa utriusque casus natura atque indole recte definienda posse aperiri. Erravisse si qui genetivum ita tantummodo usurpari opinarentur, ut perpetua esset possessio aut animi ingeniive propria res possessa intelligeretur. Illud quadrare et ad secundum et ad tertium casum. Quamquam perpetuam genetivo exprimi possessionem ut suspicarentur ideo nonnullos vel facillime commotos esse, quod possessio non iam enuntiaretur sed cogitatione quodammodo praeciperetur ac rei possessae notioni accuratius determinandae a ceterisque eiusdem generis secernendae inserviret. Cum genetivo possessio iam inde ab initio tamquam parta intelligatur, dativum addit Haase numquam usurpari nisi quid p o s s i d i ponatur. Quocirca quamvis possessio genetivo expressa usquequaque perpetua sit habenda, tamen dativo minime eam denotari, quae fluxa sit aut caduca.

Summa et tamquam medulla disputationis Haasianae iis continetur, quae cum de ratione inter id quod possidetur et eum qui possidet intercedente tum praecipue de iis rebus artibusque, quae ab hominis alicuius reive natura secerni non possunt, exponit. Neque enim quemquam esse quem, si „esse“ idem valere quod „contigisse“ cogitet, mutabilem esse illam rationem fugiat variamque, quippe quae eo quod minime sibi constat („fließendes Sein“ appellat) ita determinetur, ut et constitui possit casu aliquo et dissolvi. Quod cum ita sit, tantum abesse ut quodvis possessionis genus dativo cum verbo substantivo coniugato indicari possit, ut contra nulla res sit ponenda nisi ea, quae ab eo qui possideat aut seiuncta sit aut a regione eius exclusa aut certe talis habita, res ut per se cogitata personae praesto sit, ei aliquid commodi inferat ad eamque efficacitate quadam sit (hac ipsa sane efficacitate quippe qua obiectum flagitetur missa), personam denique ipsam quoque ad rem efficacem, ita ut ea utatur eiusque habeat potestatem, esse existimandam.

Quid ergo est? Nempe ex iis ipsis, quae de illius rationis mobilitate perscripsimus, quidnam de his structuris: „fuit ei corpus validum“ s. „animus fortis“ s. „ingenium acutum“, quid omnino de rerum corporis animique propriarum possessione iudicandum sit, facillime perspici potest. Optimo enim iure Haase demonstrat talem structuram qualis fingatur haec: „est homini corpus s. animus“ nomine praedicativo non adiuncto ne posse quidem usu venire, quia et corpus et animus, quae res cuiusvis hominis necessario propriae sint, universales habendae sint notiones ob eamque rem specialem quandam quae vere proprieque dici possit rationem cum notione dativo expressa efficere non possit. Quam rationem apparet certam definitamque fieri non posse nisi eo quod notio illa universalis attributo aliquo accuratius determinata ex tota rerum eiusdem generis copia atque abundantia eximitur. Itaque „fuit ei corpus v a l i d u m“ si dicitur, attributo quod positum est „validum“ proprietas quaedam notionis universalis h. e. „corporis“ fortuita ac singularis indicatur et ob id ipsum ratio quoque, quae cum possessore intercedit, statuenda est fortuita ac specialis.

Haasium sine ulla dubitatione, ut est ampla eius ac subtilis disputatio, in dativi possessivi natura perquirenda unice verum vidisse in aprico est. Nos vero iis quae repperit vir doctissimus confirmati quaecunque extremo loco exposuit ad possessionis quoddam genus, quod „p o s s e s s i o n e m d e t e r m i n a t a m“ („q u a l i f i z i e r t e n B e s i t z“) nos quidem vocemus, intelligendum conferre audemus. In talibus enim exemplis qualia finxerunt grammatici: „est mihi domus, sunt mihi libri“ etc. res possessas h. e. „domum“ et „libros“ per se ipsas necessaria quadam ratione cum nomine dativo expresso cohaerere nemo crediderit. Immo vero eae existimandae sunt, quas, quoniam extrinsecus tamquam obtingunt possessori, per nullam necessitatem eius esse apparet. Quod si ita fit, p o s s e s s i o n e m a b s o l u t a m (= „s c h l e c h t h i n i g e r B e s i t z“) statuendam esse nos certe arbitramur. Qua in re nihil profecto refert istiusmodi res possessa utrum attributo definiatur necne, utrum „est mihi domus“ dicatur an „est mihi ampla domus“, utrum „sunt mihi libri“ an „sunt mihi multi libri“. Nam ne eo quidem quod attributa adiciuntur ratio illa inter res possessas et dativos intercedens ita fit singularis, ut possessio intelligi possit determinata. — Prorsus aliter iudicandum est de possessione d e t e r m i n a t a. Quae si indicatur, notionem ipsam nomi-

dativo significatam, quandoquidem possessori adeo peculiaris ac propria est, ut in nullum alium hominem dici aut convenire possit, per se ipsam non ita magni momenti esse perspicuum est, cum attributo aliquo adiecto notioni illi tanta vis ac robur accedat, ut id ipsum quod attributo designatur rem vere possessam existimare debeamus.

Haec quae ita adumbramus non frustra elaborabit qui dedita opera atque enixe persequetur. Nos interim, quoniam ad finem eius quod hoc exordio explanare volueramus pervenimus, hoc uno quo quidnam sit possessio determinata significetur defungamur exemplo. Itaque nihil probabilius est in promptu quam quod scribit ipse Cicero in Parad. VI, 1: Dives est cui tanta possessio est, ut nihil optet melius. Ipsius eius qui dives dicitur cum ea sit natura, ut omnino praeditus sit aliqua possessione, possessionis notio cognatione quadam ac necessitudine cum notione dativo significata h. e. „cui" sc. „diviti" coniugata videtur ita ut, nisi possessio aliquo attributo definiatur, totam sententiam parum posse perspici apertum sit. Definitur autem possessio adjectivo quod adiungitur „tanta" enuntiato consecutivo subsequente. In quo redeuntes nos ad eam quam in eodem ratiocinationis cursu imbibimus opinionem, ubicumque possessio est determinata, id quod ipso attributo indicatur, primariam esse notionem atque eam quae vera germanaque possessio habenda sit iterum contendimus neque quidquam est quod addi possit huic disputationi nisi illud unum ad eandem rationem revocandum esse adiectivi a Graecis praedicative positi usum (*μακρὰς ἔχω τὰς χεῖρας*).

Explanavimus, quid cum de dativo possessivo tum de possessionis d e t e r m i n a t a e indole praecipue sentiremus, ab Haasii maxime profecti disputatione pulchra sane atque ingeniosa. Qua quamquam vir doctissimus dativi possessivi naturae multum lucis argumentando attulisse videtur, tamen, cum argumentando tantummodo et cogitando rem perquam difficilem enodare studuerit, incertum est an non omnis consopiatur dubitatio. Licet enim pervulgata illa quam supra leviter transiimus exemplorum ultro ac sponte a grammaticis fictorum copia uti reformidet ac scriptorum si qua fieri potest ratione locis explicationem suam fundare studeat (An nescis longas regibus esse manus? Ov. Her. 16, 166. Nullus argento color est avaris abdito terris Hor. Carm. II, 2, 1. Nulla potest esse voluptati cum honestate coniunctio Cic. Off. III, 120), tamen, cum minimus sit eiusmodi locorum numerus minimumque ii valeant (unus est Ciceronis, ac, si Horatianum illud neglegas, in pervagatissimorum exemplorum numero habendi sunt), fieri non potuit quin, ut tandem aliquando o m n i u m q u a e c u n q u e a p u d s c r i p t o r e s l a t i n o s i n v e n i u n t u r e x e m p l o r u m copia nobis suppeditaret, vel vehementissime optaremus. Hac enim sola ratione dativi possessivi indolem ac regionem certo indagari posse nobis persuasimus. Sed praepedientibus huius commentarioli angustiis cum contingere non posset, ut totius latinitatis exempla uno in conspectu proponeremus, principis primum scriptorum Ciceronis res quam accuratissime conquisitas atque dispositas proferendas existimavimus materia ipsa iis rationibus in ordinem coacta, quas dativi naturae consentire iudicemus.

A dativi potestate ac sententia principali partiendi ea quae congesta dabuntur capiamus primordia. Ceteris igitur casibus quaenam vis sit subiecta cum si non certum habeant exploratumque attamen ita quaesiverint grammatici, ut et iis qui casus linguarum indogermanicarum singulos ad loci referunt relationes et iis qui grammaticam sive philosophicam sequuntur doctrinam suum datum sit [1]), de tertii casus vi primitiva adeo etiamnunc incertum vacillat iudicium, ut in illum quoque vetus illud: „adhuc sub iudice lis est" cadere videatur. Illud unum satis probabiliter effecisse videntur grammatici, ut linguae graecae dativus munera complurium et forma et potestate dissimilium casuum suscepisset [2]), ita dativum latinum cum locativo finali (priscis locativi formis exceptis) confluxisse ob eamque rem aptum esse quo propositum quod quis assecutus sit et locus significetur [3]). Ad hanc autem disputationem illa sola dativi potestas quadrat, qua notio (persona

1) cf. Stolz-Schmalz l. c., p. 412.

2) B r u g m a n n, Griechische Grammatik (Lautlehre, Flexionslehre und Syntax); Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft von Iwan v. Müller, 2. Band, 2. Aufl., p. 200 sq.

3) K u e h n a s t (Livianische Syntax, p. 118) tertium casum plane vocat „den Kasus der beteiligten Sphäre".

s. res) dativo designata ei quod universa enuntiati sententia continetur aliquo modo affinis esse dicatur [1]). Atqui ratio grammatica ea est, ut notiones tali societate adiunctae aut necessariae sint, ita ut nisi ponantur enuntiati sententia manca sit, aut non necessariae. Si necessariae sunt, dativum necessitudinis vinculo cum enuntiati sententia constrictum („organische Zugehörigkeit des Dativs"), si non necessariae sunt, extrinsecus quodammodo dativum adiectum („äußerer Anschluß des Dativs") dixerimus. Arctissima autem illa necessariaqua iunctura tertius casus connexus invenitur cum notionibus quibusdam quas vocant relativis, quae natura ita comparatae sunt, ut fieri non possit, quin determinatione aliqua praeditae fiant, in quibus quae hoc loco sola commemoranda videntur verba sunt ea quae cui possessionem alicuius rei dari indicant (germanice „Verba der Zueignung") velut „dare", „tribuere", „obtingere", „obvenire", similia. Structurae igitur dativi possessivi cum verbo substantivo connexi id est proprium, ut verbum substantivum „esse", cuius quidem vis quam maxime varia esse possit (cf. Cic. Att. X, 12a, 1: Quidnam mihi futurum est; quae quid significent ea quae sequuntur declarant: aut quis me non solum infelicior sed iam etiam turpior? Att. XII, 18a, 2: Num id etiam mihi periculi fuit? Planc. 95: Neque enim mihi insidiarum periculum ullum neque mortis fuisse. Verr. V, 116: A securi negat esse ei periculum, virgis ne caederetur, monet, ut caveat. Att. XV, 5, 2: Mihi, ut absim, vehementer auctor est et ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit. Fam. VI, 1, 2: Cum omnium bellorum exitus incerti sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omnium interitu, ab altera te ipsum numquam timuisse certo scio. Att. IX, 14, 2: Quibus exsilii poena superioribus legibus non fuisset. Imprimis Att. XIV, 5, 1: Spero tibi iam esse ut volumus), verbi illius generis quod supra significavimus vice fungatur, ita ut ipsum quoque necessaria illa iunctura (v. s.) cum tertio casu coagmentari possit, cui rationi non longe dissimilis ea est, qua verbum graecum *γίγνεσθαι*, quod singulari potestate non praeditum sit, cum dativo possessivo construitur (Hom. Od. III, 228: *οὐκ ἂν ἐμοί γε ἐλπομένῳ τὰ γένοιτ', οὐδ' εἰ θεοὶ ὣς ἐθέλοιεν*). Sed quid opus est huiusmodi structurae radices usque ab Homero repetere? De Cicerone loquimur, qui hisce verbis simile quiddam atque „esse" significantibus utitur: venire (Att. III, 14, 2: Subito mihi universi nuntii venerant et literae; ib. 17, 1: De Quinto fratre nuntii nobis tristes nec varii venerant. — Subiectum est saepissime „hereditas": Phil. II, 40, 62. Verr. act. II, lib. I, 27, 90 (115), 126, 127; II, 19. 20. 21. 35. 53. 59; IV, 62; inv. II, 62) [2]), fieri (Div. II, 78: Negas Deiotarum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti facta sint, paenitere. Fam. II, 1, 2: Quantaecunque tibi accessiones fient et fortunae et dignitatis (de notionibus abstractis qualis potestas est saepissime ita cum illo verbo coniugatis v. infra), adesse, quod, cum praepositio significationem universalem immutet atque determinet, verbi relativi munera suscepit et ob id ipsum necessaria iunctura cum dativo possessivo ad abstractam praecipue possessionem indicandam connectitur (Acad. I, 38: Cum illi ea genera virtutum, quae supra dixi, seiungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat, nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum nec tamen virtutem cuiquam adesse, quia ea semper uteretur. Tusc. III, 36: Magna vis est in virtutibus; eas excita, si forte dormiunt; iam tibi aderit princeps fortitudo, quae te animo tanto esse coget, ut omnia, quae possint homini evenire, contemnas et pro nihilo putes; aderit temperantia, quae est eadem moderatio, a me quidem paulo ante appellata frugalitas, quae te turpiter et nequiter facere nihil patietur. Off. III, 52: Celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiae? Balb. 9: Quid enim abest huic homini, quod si adesset, iure haec ei tribui et concedi putaremus?).

Haec dum animo complectimur, ut conclusa nobis iam sit omnis disputatio, in illa quam perstrinximus dicendi ratione verbo substantivo vim verbi finiti eiusque „addictionem" („Zueignung") indicantis subesse vel acerrime semel atque iterum admonuerimus; nec minus affirmandum videtur atque asseverandum illa ipsa addictionis ratione verbum substantivum cum dativo necessaria iunctura coagmentari. Est igitur, si quae exposuimus diligentius attendas, quod ea tantummodo

---

1) Kuehnast l. c.

2) cf. Ov. Pont. IV, 6, 1: Tibi venit epistola. Prop. IV, 3, 5: Ausoniis veniet provincia virgis; IV, 3, 5: Mihi venit epistola. cf. I, 11, 25. Catull. 68, 63: Nautis aura secunda venit; 61, 116: Quae tuo veniunt hero, quanta gaudia. Tib. I, 9, 43.

quasi vera et genuina verbi substantivi cum dativo possessivo constructio statuatur, qua dativus aptus sit ex solo verbo substantivo per se posito.

Multum dissimiles sunt duae sub iudicium iam vocandae rationes; altera si valet, „esse" aut non est verbum „addictionis", sed condicionem statumve significat, id quod cadit maxime in notiones quasdam relationis (esse = intercedere), aut vim habet plane copulativam. Illud si fit h. e. si verbum substantivum vim verbi per se positi habet idemque denotat quod „intercedere", dativus non uni verbo substantivo sed universae in verbo substantivo subiectoque positae notioni necessaria iunctura adiectus existimandus est, nec fieri potest, quin contentionis et comparationis causa advocemus usitatissimam illam locutionem „convenit mihi aliquid cum aliquo" (Cic. Rosc. Am. 79. Phil. XIII, 37. Offic. III, 62. Tusc. III, 46. Fin. V, 87. Fam. XIII, 6a, 2). Contra verbum substantivum si copula tantummodo enuntiati est, dativus aut ex adjectivo aliquo praedicative dicto, quod definiatur ac determinetur necesse est, (velut „aliquid mihi commune est cum aliquo") aut ex substantivo aliquo item praedicative posito aptus est („Dativ der bloßen Zusammenordnung" Kuehnastio auctore [1]) vocari potest).

Tertium iam idemque postremum dativi usurpandi genus, in quo „esse" et verbum finitum esse potest et copula cum praedicativo aliquo connectenda, id statuatur, quo solutiore quadam licentia pro genetivo possessivo tertius casus substantivo alicui praepositione saepissime terminato adiungitur (velut: Septimus mihi liber Originum est in manibus Cat. 35. Qui vobis in consilio fuerunt Sull. 13. Illi, quibus eras in deliciis, vix risum tenebant Vat. 20 etc.).

His profligatis ad proferenda singulatim elocutionis Ciceronianae exempla ita nos damus, ut exorsi a genuino h. e. soli verbo substantivo subiuncto dativo possessivo deinceps de dativo necessario adiungendo illo quidem sed cum universa verbo substantivo et substantivo aliquo relationis constante notione agamus, denique ad dativum liberiore ac solutiore ratione positum aggrediamur.

A.

Dativus possessivus genuinus est h. e. uno solo verbo substantivo verbi finiti vice fungente determinatus.

I. Possessio est absoluta.

a) Is qui possidet persona est sive res personae vim sustinens.

1) Possidetur item persona eaque

α) per se posita.

Exempla sunt paucissima:

De orat. I, 234 [2]): Quod in ea tu plus operae laborisque consumpseras, quum eius studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Topic. 14: Si ita Fabiae pecunia legata est a viro, si ei viro mater familias esset, si ea in manum non convenerat, nihil debetur. — Mancus fertur locus Parad. VI, 44. Baiter scribendum esse censet: „si, ut aiunt, Danao quinquaginta sint filiae"; alii habent: „ut aiunt Danaum" (sc. habuisse) propter ea quae praecedunt: Filiam quis habet, pecunia est opus; duas, maiore; pluris, maiore etiam.

Ceteris huc quadrantibus locis notiones quae vocantur collectivae leguntur Rep. II, 67: Est tibi ex eis ipsis, qui adsunt, bella copia, vel ut a te ipso ordiare. Quinct. 2: P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt. Verr. act. II, lib. I, 97: Quo ex genere mihi testium, qui cum isto furati sunt, si uti voluissem, magna copia fuisset. Fam. XII, 13, 2: Esse etiam debent in republica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli,

---

1) Livianische Syntax, pag. 118; cf. Stolz-Schmalz l. c., p. 425, imprimis „Lateinische Syntax nach den Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft" von Reisig, mit Anmerkungen von Fr. Haase. 3. Band, neu bearbeitet von Schmalz und Landgraf, § 372.

2) In laudandis locis secuti sumus C. F. W. Muelleri (Lips. Teubn.) editionem.

quorum esse cupio tibi copiam. Caecil. 50: Vobis tanta inopia reorum est, ut mihi causam praeripere conemini potius quam aliquos ad columnam Maeniam vestri ordinis reos reperiatis?

Nec tamen addendum est de rep. III, 17: Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset, aeris milliens salva lege, mea triciens non posset —, quia „unica“ nomen praedicativum habendum est (cf. persimilem iuncturam Sest. 138: Huic hominum generi fateor — multos adversarios, inimicos, invidos esse; dativus enim hoc loco nominibus praedicativis „adversarios“, „inimicos“, „invidos“ subiunctus est). Ac ne illud quidem dignum est, quod commemoretur, quod exstat Verr. act. I, 52: „Circumstant te summae auctoritates, quae te noctes diesque commoneant fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gravissimum socerum fuisse“, quandoquidem possessio hoc loco existimanda est determinata (v. i.).

β) Personis quae possidentur admixtae sunt res concretae.

Quinct. 85: Mitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romae domus, uxor, liberi, procurator esset, eum qui tibi vadimonium non deseruisset; haec omnia mitto; illud dico, dominum expulsum esse de praedio, domino a familia sua manus allatas esse ante suos Lares familiares (cf. Quinct. 2: P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt). Phil. X, 4: Amplissimae tibi fortunae sunt, summus honoris gradus, filius, ut et audio et spero, natus ad laudem (v. i.).

2) Possidetur res in personam constituta.

Exempla plane aliena sunt ab oratione Ciceroniana.

3) Possidetur res concreta.

α) Res concretae ipsae per se positae sive individuae (Germ.: „Individualkonkreta“) quamvis a grammaticis exemplis ultro ac sponte fictis („ager“, „domus“ etc. mihi est v. s.) ad dativi possessivi normam quasi ac regulam confirmandam ita proferantur, ut illa collocatione et dignitate fere potiora esse videantur exemplis ab ipsis scriptoribus petitis, tamen hac se ratione Ciceronem adstrinxisse vix aut omnino non possumus concedere. Velut Fam. XIV, 1, 5: „Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus; cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est et mediocri fortuna, ut cetera consequatur“, id, quod casu nominativo expressum videmus, non solum neutrum pronominis est, verum etiam notionis collectivae vim habere videtur. Eiusdem generis est sc. significatione collectiva praeditum quod legimus Verr. I, 141: „Quid ageret, coepit agitare; si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse“; verum de orat. II, 71: „Sed vide, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit et pellis, Hercules autem et alia opera maiora in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur“, „hydra“ et „pellis“ translate dicta sunt pro notionibus, quae iis declarentur, abstractis. Praeterea unum inveni exemplum Balb. 54: An accusatori maiores nostri maiora praemia quam bellatori esse voluerunt?

β) Paulo usitatior est usus collectivarum notionum concretarum ac praecipue quidem, id quod notatu dignum est, in oratione pro P. Quinctio habita. ib. 2: P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt (v. s.). 12: Erat ei pecuaria res ampla et rustica sane bene culta et fructuosa. 16: Romae sibi nummorum facultatem esse, quam si caperet, communem existimaret pro fraterna illa necessitudine et pro ipsius affinitate. Offic. I, 25: M. Crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Phil. X, 4: Amplissimae tibi fortunae sunt, summus honoris gradus, filius, ut et audio et spero, natus ad laudem (v. s.). Att. VII, 3, 7: Id si praestaret, quantum mihi aeris alieni esse tibi edidit, tantum et plus etiam ipse mihi deberet.

Hisce ego rebus subiungendam esse existimo usurpationem adverbii „satis“, ex quo genetivus partitivus aptus est notionis concretae uno loco. Lael. 45: Satis superque esse sibi suarum cuique rerum, alienis nimis implicari molestum esse (sc. quibusdam placuisse opinor). [Eodem non referendum est Parad. II, 18: Tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est, quod est, et id ipsum ne non diuturnum sit futurum, times.] — Ceteris locis adverbio illi additus legitur genetivus nominis „praesidii“. Catil. II, 26: Mihi, ut urbi sine vestro motu ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, consultum atque provisum est. IV, 23: Commendo vobis parvum meum filium,

cui profecto satis erit praesidii non solum ad salutem verum etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solius periculo conservarit, illum filium esse memineritis. Att. XV, 14, 3: Satis erit in perpetuum Buthrotiis praesidii —, si hoc honoris mei causa susceperis. Fam. XIII, 39: Est in tua potestate, ut ille in me satis sibi praesidii putet esse.

Dativus non est possessivus Rep. VI, 25: „Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest?" Verbum substantivum enim vim non habet externam sive „obectivam", qua addictio aliqua significetur, sed ea est sententia, ut dativus quem dicunt relationis habendus sit atque hoc scriptoris consilium emergere videatur: „Diese Räumlichkeit, auf der sich für große und ausgezeichnete Männer alles befindet" = „die der Inbegriff ihrer Wünsche und Hoffnungen ist". — Ne id quidem notandum est quod legimus Catil. III, 28: Mihi quidem ipsi quid est quod iam ad vitae fructum possit adquiri? Est enim manifestum dativum, quippe qui dativus graecus quem vocant existimandus sit, adiunctum esse infinitivo „adquiri", cuiusmodi usus dativi [1]) non solum cum compositis sed etiam cum simplicibus formis quorundam verborum coniuncti satis multis comprobatur exemplis: de leg. agr. II, 20: Habebit comitia, volet eos renuntiare, quibus regia potestas hac lege quaeritur. Offic. III, 38: Honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur. Verr. III, 43: Tibi consulatus quaerebatur, Metello paternus honos et avitus neglegebatur. Nat. deor. II, 123: Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur.

Expendimus, ut rem ad calculos vocemus summamque subducamus, omnino XXIV exempla. Duobus locis, cum tertius non sincerus sit, persona dicitur possessa individua; quinquies personae genetivo partitivo adnectuntur uni eidemque notioni numerali „copiae" nominique ei contrariae „inopiae"; bis personae permixtae inveniuntur cum rebus concretis; novies quae possidentur res concretae illae quidem sunt, sed uno excepto „praemio" aut omnino (sexies) collectivae („tenues opes", „nullae facultates", „pecuaria res ampla" etc., „nummorum facultas", „satis magna pecunia", „amplissimae fortunae", „quantum aeris alieni") aut eae, ut ad intellectum collectivum accedant, („nullam praedam") aut neutro denique pronominis („aliquid") expressae. Reliquis locis id quod possidetur adverbio „satis" atque eo semel notione concreta („suarum rerum"), quater notione mediam quandam inter abstractam et concretam vim habente („praesidii") partitive definito significatur.

Itaque pensitatis omnibus, praesertim cum dimidia fere pars exemplorum ex epistolis (5) et ex prima illa oratione pro Quinctio habita (5) petita sit, non nimis fidenter asseverare videmur rationem sic concludentes dativi possessivi structuram, si modo ea sit, ut absoluta indicetur possessio ac res possessa sit eaque individua concreta, tam raro a principe scriptorum latinorum usurpari, vix ut quidquam ab huius certe more dicendi, quo grammaticorum qualia circumferuntur praecepta confirmentur, inveniri possit adminiculi.

4) Possidetur res abstracta.

α) Initium sumamus ab notionibus rationem aliquam sive condicionem designantibus.

$\alpha\alpha$) Solitaria est Ciceroni notionum localium ac temporalium cum proprio sensu tum metaphorice dictarum et facultatem aliquid faciendi indicantium cum dativo possessivo copulatio. Quam dicendi rationem cum vix primoribus, ut dicitur, labris attigisse grammaticos in disputandi exordio significaverimus, eo magis digna, quae percenseantur, exempla videntur Ciceroniana. Primum autem obtinent locum

Notiones locales et temporales:

Locus [2]). Proprie positum est: Mil. 94: Ego cum te patriae reddidissem, mihi putarem in patria non futurum locum? Phil. VI, 10: Aliquando negat ei locum esse oportere in curia,

---

1) Accurate hunc dativi usquequaque „commodum" designantis usum excussit H. Tillmann („De dativo verbis passivis linguae latinae subiecto, qui vocatur graecus" in act. Erlang. II, p. 73), cui viro amplissimo, qui roganti mihi exemplum idque ultimum commentationis suae benigne condonaverit, gaudeo quod vel hoc loco licet gratias agere quam maximas.

2) Verba finita, quorum vice verbum substantivum fungitur, haec leguntur apud Ciceronem: „dari" s. „datum esse". Mil. 4. Quinct. 61. Cat. 63. Mur. 48. 72. Sest. 12. Offic. III, 117. Cael. 9. Balb. 16 (active dicitur „locum dare": Mur. 73. Verr. V, 132. Cat. 84. Fin. IV, 62); „constitui":

qui incenderit curiam. ib. XIII, 4: Illis locus si in hac urbe fuerit, ipsi urbi locus non erit. Nat. deor. III, 38: Temperantia constat ex praetermittendis voluptatibus corporis, cui si locus in caelo est, est etiam voluptatibus.

Metaphorice quibuscunque locis occurrit ita usurpatur, ut careat attributo (de divin. II, 70: „Difficilis auguri locus ad contra dicendum. Marco fortasse, sed Romano facillumus" dativus adiectivo subiunctus est). Brut. 207: Locus erat omnino in maximis causis praeter eos, de quibus supra dixi, nemini. ib. 233: Ita furebat, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Orat. 4: In poëtis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. de orat. II, 246: Cenabo apud te, — uni enim locum esse video. Quinct. 94: Si licet vivere eum quem Sex. Naevius non vult, si est homini honesto locus in civitate invito Naevio — spes est etiam hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere. Verr. II, I, 98: Non modo proditori, sed ne perfugae quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Leg. agr. II, 77: Num vobis aut vestri similibus integris, quietis, otiosis hominibus in hoc numero locum fore putatis? Rab. Post. 36: Ubi semel quis peieraverit, ei credi postea, etiamsi per pluris deos iuret, non oportet, praesertim, iudices, cum in his iudiciis ne locus quidem novo testi soleat esse ob eamque causam idem iudices retineantur, qui fuerint de reo. Planc. 82: Me vehementer vitae meae paeniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini nisi litigioso aut nocenti. Balb. 40: Testantur — ipsum populum Romanum — se hoc ius esse velle, ut sibi et liberis, si qui eximia virtute fuerit, sit in nostris castris, sit in imperatorum praetoriis, sit denique inter signa atque in acie locus, sit his gradibus ascensus etiam ad civitatem. Post red. ad Qu. 14: Itaque neque re publica exterminata mihi locum in hac urbe esse duxi nec, si illa restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa reduceret. Fam. XII, 23, 3: Quae enim est spes, quum in concione dicere ausus sit Antonius Cannutium apud eos locum sibi quaerere, quibus se salvo locus in civitate esse non posset? (cf. ad Quint. fr. III, 3, 3: Quid futurum sit, nescio; locum tamen illi in civitate non video). Att. XII, 38, 4: Heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant, nihil est scilicet emptori loci.

Postremo loco ponantur exempla notionis translate usurpatae eiusdemque occasionem sive facultatem indicantis genetivo gerundii adiuncto: Verr. II, 1, 10: Non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus, iudices. Prov. cons. 2: Quotienscunque ei locus dicendi ac potestas fuit (cf. Tusc. IV, 38: Atque idem ita acrem in omnis partis aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi). Att. V, 11, 5: Nihil — a me fieri ita videbunt, ut sibi sit delinquendi locus. ib. XI, 10, 1: Me quidem excruciant, et eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. Flacc. 50: Iterum iste, cui nullus esset usquam consistendi locus, Romam se rettulit. Lig. 31: An sperandi Ligario causa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi? — Intelligendus videtur dativus Fam. II, 17, 6: Petis a me, ut Bibulo te quam diligentissime commendem: in quo mihi voluntas non deest, sed locus esse videtur tecum expostulandi.

Uno loco pro gen. gerund. praepositio „ad" dicta est Fam. I, 9, 14: Nulli improbo civi locus ad rem publicam violandam esse potuisset (cf. Verr. II, I, 45: Est mihi alius locus ad hanc eius cupiditatem demonstrandam separatus) [1]).

Dativus deest locis, quibus verbum substantivum non addictionis intellectu sed universali dicitur, hisce: Verr. V, 10: In metu belli furandi locus qui potest esse? Brut. 256: Non metuo, ne mihi acclametis; est autem quod sentias dicendi liber locus. ad Quint. fr. III, 1, 7: Romae respirandi non est locus. Rep. II, 19: Ex quo intellegi potest permultis annis ante Homerum fuisse quam Romulum, ut iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. — Prorsus alia denique ratione ac dativus ponitur praepositio „apud" Mur. 63: Nostri — aiunt — esse apud hominem constantem ignoscendi locum.

S p a t i u m. Translate dictum potestatem denotat: Fam. IX, 5, 3: Mihi si spatium fuerit in Tusculanum ante Nonas veniendi, istic te videbo. — Intelligendus est dativus Phil. XII, 30:

Cluent. 56. 59. Phil. II, 44; „relictum esse": Fam. IV, 3, 4. Sull. 91 (active dictum: Fam. I, 1, 2. Cluent. 61. fragm. Orat. A. IX, 21; „reliquum facere": Phil. XIII, 48); „relinqui": Sull. 78.

1) Tillmann (l. c. pag. 79 sq.) hoc dativi graeci exemplum Ciceronianum praetermisit.

De qua (sc. utilitate rei publicae), quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto.

Tempus. Uno loco eoque proprie ponitur Tusc. V, 73: An Epicuro, qui tantum modo induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, dicere licebit, quod quidem, ut habet se res, me tamen plaudente dicit, nullum sapienti esse tempus, etiamsi uratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare: „Quam pro nihilo puto!"

Otium. Partit. orat. 1: Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione dicendi Graece tradidisti; si modo tibi est otium et si vis. Att. I, 19, 1: Si mihi tantum esset otii, quantum est tibi — facile te superarem. II, 3, 3: Hic sunt haec: coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Caesare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. (Aliter ob praedicativam adiectivi vim interpretandus est locus Planc. 66: Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem otiosum?)

Mora. Catil. I, 9: Dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem.

$\beta\beta$) Notionibus localibus aptissime traducimur ad eas, quae motionis in ipso spatio, eundi potissimum facultatem indicant.

Aditus [1]). Cael. 53: Possum etiam illa et ceterorum patronorum et mea consuetudine ab accusatore perquirere, ubi sit congressus cum servis Luccei Caelius, qui ei fuerit aditus. Phil. V, 20: Nullus aditus erat privato, nulla aequitatis deprecatio. ib. VIII, 28: Cui portas huius urbis patere ius non erat, huic hoc templum patuit, huic aditus in senatum fuit. Verr. IV, 99: Aditus in id sacrarium non est viris. V, 30: In eum — ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius aut minister libidinis esse posset. Att. XII, 44, 2: Perfice igitur aliquid, quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? (Recedere apparet ab horum exemplorum similitudine, cum adiectivum praedicamenti locum obtineat, hos locos: Mur. 14: Quo constituto facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quae pars altera fuit accusationis. Att. IX, 3, 1: Ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intellegere Gnaeum non esse faciles nobis ex Italia exitus, quum ea tota armis praesidiisque teneatur, hieme praesertim. Dei. 24: Speravit, credo, difficiles tibi Alexandriae fore exitus propter regionum naturam et fluminis. Lael. 14: Cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni? Fam. III, 2, 2: Si provinciam — quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. Phil. XIV, 17: Magnus est in re publica campus, — multis apertus cursus ad laudem. Aem. Sc. 31: Facilem sibi fore in gratiam reditum arbitrabatur. Mil. 103: Nolite acerbiorem mihi pati reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Fragm. phil. F. V, 97: Sic existimandum est — hoc iis faciliorem adscensum et reditum in caelum fore.) — Singulari modo significationem ipsius facultatis aliquid faciendi induit: Fam. VI, 10, 2: Si qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi — agam per me ipse et moliar. — Dativus deest Verr. III, 159: Non ad omnes praetorum filios idem aditus sunt. De offic. I, 6: — ut ad officii inventionem aditus esset.

Reditus. Cluent. 119: Quodsi illud iudicium putaretur, ut ceteri turpi iudicio damnati in perpetuum omni honore ac dignitate privantur, sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus neque in curiam reditus esset. Sest. 30: Atque illis tum erat reditus in suas civitates ad suos Lares familiaris, et in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Att. II, 3, 3: Hic sunt haec: coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet, etiam cum Caesare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. Att. XI, 15, 1: Video difficile esse consilium, sum enim solus aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur.

$\gamma\gamma$) Nescio an eodem referendae sint notiones ad vim concretam prope accedentes:

Latebra. Cael. 62: Cur enim potissimum balneas publicas constituerat? In quibus non invenio quae latebra togatis hominibus esse posset.

---

1) Verba finita verbo substantivo his et similibus nominibus adiuncto respondere censenda sunt haec: „Patere" Rep. VI, 15. Tusc. I, 72. Verr. II, 3. Att. X, 12 b, 2. Cael. 8. Dei. 11. Lael. 13. „relinqui" Font. 20. „dari" Div. I, 68. (cf. „aditus sibi comparare" Att. II, 17, 1).

Perfugium. Verr. II, I, 82: Hic tibi perfugium speras futurum? ib. V, 150: Nunc tibi ego ullam salutem, ullum perfugium putem, cum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia populi Romani esse videam? cf. Tusc. I, 118: Portum potius paratum nobis et perfugium putemus (Praedic.: Cluent. 171: Huic mortem maturabat inimicus, quod illi unum in malis erat perfugium calamitatis?).

Portus (metaphorice usurpatur). Verr. V, 153: Quibus fuit portus apud eum, quem contra arma tulerant, iis apud te — mors et cruciatus erat constitutus? (cf. Tusc. I, 118 supra).

δδ) Iam vero transeamus ad usum vel pervagatissimum notionum posse aliquid fieri proprie vereque declarantium:

Facultas[1]). De imp. 18: Neque enim isdem redimendi facultas erit propter calamitatem neque aliis voluntas propter timorem. Verr. act. I, 55: — ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi dicendique sit. Rosc. Am. 94: Permulta sunt, quae dici possunt, quare intellegatur summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi. Fragm. philos. F. V, 88: Ea facultas nostris maioribus erat, qui confectis senatus consultis.

Potestas. Brut. 189: Quid, adolescentibus nobis quum esset Cotta et Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat? De inv. II, 5: Ex maiore enim copia nobis quam illi fuit exemplorum eligendi potestas. ib.: Nobis omnium, quicumque fuerunt ab ultimo principio huius praeceptionis usque ad hoc tempus expositis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas fuit. de or. II, 52: Res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi. Quinct. 40: Anno et sex mensibus —, cum tibi cotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis. Cluent. 10: Cluentio nisi nunc satis fecero, postea mihi satis faciendi potestas non erit. ib. 193: Itaque nullo in oppido consistendi potestas ei fuit. Balb. 27: Ut, si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive Romano, ut sit is civis Gaditanus, magna potestas sit nostro civi mutandae civitatis, nec foedere impediatur, quo minus ex cive Romano civis Gaditanus possit esse. Sest. 52: Numquam — erit tam oppressus senatus, ut ei ne supplicandi quidem ac lugendi sit potestas, tam captus equester ordo, ut equites Romani a consule relegentur. ib. 113: Ex iis, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum contionum consistendi potestas non erat, duo a populo Romano praetores video esse factos. Mil. 4: Nam, si umquam de bonis et fortibus viris, si umquam de bene meritis civibus potestas nobis iudicandi fuit, — hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis . . . . . Prov. cons. 41: Non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Leg. agr. II, 91: Neque enim contionandi potestas erat cuiquam nec consilii capiundi publici. Verr. act. II, lib. I, 72: De quo ne multa disseram, tantum dico, secutum id esse Neronem et eius consilium: quod Cornelium lictorem occisum esse constaret, putasse non oportere esse cuiquam ne in ulciscenda quidem injuria hominis occidendi potestatem. Phil. V, 8: Eccui potestas in forum insinuandi fuit? ib. 45: Saepe spero fore huius adulescentis ornandi honorandique ex nobis et populo Romano potestatem. ib. VII, 26: Haec si fecerit, erit integra potestas nobis deliberandi. ib. VIII, 21: Equidem cum ante legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod, cum illi ab Antonio contempti et reiecti revertissent renuntiavissentque senatui non modo illum de Gallia non discessisse, uti censuissemus, sed ne a Mutina quidem recessisse, potestatem sibi D. Bruti conveniendi non fuisse, sperabam fore ut omnes — subveniremus. ib. IX, 6: Multis illi in urbibus, iter qua faciebat, reficiendi se et curandi potestas fuit. Acad. II, 8: Hoc liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas. Fam. I, 7, 1: Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non praetermittam. ib. I, 9, 22: Quocumque tempore mihi potestas praesentis tui fuerit, tu eris omnium moderator consiliorum meorum (cf. De fin. V, 75: Si tui nobis potestas saepius fieret, non multum

---

1) Verba finita huc quadrantia haud abs re erit proferre: „Facultas data est s. datur“ Sull. 2. Fam. III, 3, 2. Cluent. 10. Verr. II, 178; „facultatem facere“ Verr. II, 179; „potestas data est“ Rosc. Am. 28. Verr. III, 140. Caecil. 63; „potestas facta est s. fit“ Verr. II, I, 142; III, 140. 148. IV, 149. Phil. I, 38. Cluent. 108. post red. in sen. 3. Tull. 39. Fin. V, 75. Fam. XII, 10, 1; „potestatem facere“ Rosc. Am. 73. Verr. II, I, 15. IV, 64. Phil. VII, 26. VIII, 31. Caecil. 45.

Graecis supplicandum putarem). Att. I, 3, 2: Nos ea nondum vidimus, neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit. ib. VI, 1, 7: Illud quidem fatebitur Scaptius, me ius dicente sibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi potestatem fuisse. VIII, 3, 1: Maximis et miserrimis rebus perturbatus, quum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. (Dativus ex nexu sententiarum cogitandus est: Quinct. 46. 51. Att. XI, 2, 4; XIII, 19, 2.)

εε) Nec vero non eidem generi attribuendam esse censeo „causam", quae ubicumque occurrit dativi possessivi structura usurpata „subiectivam" quasi quandam potestatem habet h. e. ea est, qua quis ut aliquid faciat commoveatur. Subiungitur aut genetivus obiectivus (substantivi sive gerundii) aut enuntiatio interrogativa obliqua particula „cur" sive locutione „quam ob rem" determinata. Quapropter quod exhibent codd. Att. XV, 13, 6: „perscribe, quaeso, quae causa sit Myrtilo", praesertim cum ne a sententiae quidem ratione et consilio habeat quidquam defensionis, optimo iure ita ad integritatem revocandum esse censuerunt, ut scriberent: Myrtili. („Schreibe mir, was es mit Myrtilus für eine Bewandtnis hat". At dativo posito haec emergit sententia: „Schreibe mir, was für eine Veranlassung M. hat".) „Puto Graece scriptum fuisse, ut saepe eiusmodi nomina propria in Cic. Epp.: *Μυρτίλου*, indeque factum „Myrtilo" pro priore „Myrtili". Orelli.

Sed sequantur loci: Brut. 314: Ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. De inv. II, 24: Hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit alii nemini causam fuisse faciendi; secundarium, si [tantam aut] tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur, aut potestas defuisse aliis demonstranda est aut facultas aut voluntas. de orat. II, 367: Si, quod difficilius est, tibi reliquit, est nobis — causa, cur te audire cupiamus; sin, quod facilius, tibi causa non est, cur recuses. Quinct. 58: Litterae P. Quincti, testes tot, quibus omnibus causa iustissima est, cur scire potuerint, nulla, cur mentiantur, cum adstipulatore tuo comparabuntur. Rosc. Am. 41: Illud iam perspicuum profecto est, si neque amens pater neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri neque sceleris filio fuisse. Verr. II, 13: Reperietis enim, quae causae benevolentiae Mamertinis erga istum sint, eas ipsas causas satis iustas esse damnationis. ib. V, 146: Non providerant eas ipsas sibi causas esse periculi, quibus argumentis se ad salutem uti arbitrabantur. Sest. 52: Neque erit justa causa ad portas sedenti imperatori, quare suum terrorem falso jactari opponique patiatur. Cael. 21: Sed vestrae sapientiae tamen est, iudices, non, si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Caelium, ideo vobis quoque vos causam putare esse iustam alieno dolori potius quam vestrae fidei consulendi. Phil. II, 53: Omitto, quam haec falsa, quam levia, praesertim cum omnino nulla causa iusta cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. ib. V, 19: Haec — ei causa esse declamandi solet. VI, 1: Causa fortissimis optimisque consulibus Kalendis Ianuariis de republica primum referendi fuit ex eo, quod XIII Kalendas Ian. senatus me auctore decrevit. Font. 22: Vos et saepius eandem rem animis agitare et diutius uno de teste cogitare potestis et, si quem nos interrogare noluimus, quae causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Cluent. 20: Nunc hoc scire vos volui, nullam huic aliam accusandi causam fuisse, nisi ut propositum vitae periculum et cotidianas capitis insidias hac una ratione vitaret. ib. 169: — Primum illud quaero, quae causa Habito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet. Rab. Post. 32: Et ait etiam meus familiaris et necessarius eandem causam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quae mihi fuerit, cur eundem defenderem. Fin. IV, 3: Existimo igitur — veteres illos Platonis auditores — satis et copiose et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ut non esset causa Zenoni, cum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso et a superioribus dissideret. ib. 19: Fatebuntur Stoici haec omnia dicta esse praeclare, neque eam causam Zenoni desciscendi fuisse. ib. 44: Atque adhuc ea dixi, causa cur Zenoni non fuisset, quam ob rem a superiorum auctoritate discederet. De divin. I, 94: Arabes — et Phryges et Cilices, quod pastu pecudum maxume utuntur campos et montes hieme et aestate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt; eademque et Pisidiae causa fuit et huic nostrae Umbriae. De leg. II, 4: Ego vero tibi istam iustam causam puto, cur huc libentius venias atque hunc locum diligas. De rep. I, 9: Proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad rem publicam adeundi causa iustior, quam ne parcant improbis neve ab isdem lacerari rem publicam patiantur, cum ipsi auxilium ferre, si cupiant, non queant. ib. III, 13: Quae enim iis scribendi alia causa aut quod omnino consilium fuit? Fam. I, 9, 18: Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendae rei publicae fuisse, quod —. III, 4, 2: Quod scribis tibi manendi causam eam fuisse, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, est gratum.

10, 7: Eam causam multis omnino non eundi fuisse. VIII, 15, 2: Peream, si minima causa est properandi isto mihi, quod te videre et omnia intima conferre discupio. Att. VI, 6, 3: Videbam — quae tibi essent ἐποχῆς causae, et erant eaedem mihi. XII, 14, 3: Solitudo aliquid adiuvat sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses, quae mihi una causa est hinc discedendi. XIII, 10, 3: Plane, quid sit, non intelligo: explanabis igitur; quamquam nihil habeo, quod dubitem, nisi ipsi Magio quae fuerit causa amentiae, pro quo quidem etiam sponsor Sunii factus est. 27, 1: Illud vero vel optime, quod ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit. XV, 5, 2: Ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest ut Antonii suspicionem fugere nunc curem, ne videar eius secundis rebus non delectari, ut mihi causa ea sit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. VIII, 2, 4: Est mihi praeterea praecipua causa manendi, de qua utinam aliquando tecum loquar!

ζζ) Cognationem grammaticam cum iis quas modo enumeravimus notionibus habere videntur nomina ius potestatemque aliquid faciendi significantia.

Commercium. Verr. III, 93: Arabat is agrum conductum in Segestano; nam commercium in eo agro nemini est. II, 124: Agrigentini ad istum legatos mittunt, qui eum leges doceant consuetudinemque omnium annorum demonstrent, ut iste intellegeret ei se illum locum vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporteret.

Ius. Verr. II, 39: Cum id, quod omnes intellegebant, diceret Heraclius, certum ius esse Siculis inter se, quo iure certarent, legem esse Rupiliam, — negavit se iudices e lege Rupilia sortiturum. De leg. III, 40: Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi aut cum senatu. Tim. 31: Deus ipse solem quasi lumen accendit ad secundum supra terram ambitum, ut — animantes, quibus ius esset doceri, ab eiusdem motu et ab eius, quod simile esset, numerorum naturam vimque cognoscerent. — Aliter — cf. s. s. v. „aditus“ — ob praedicativam nominis naturam iudicandum est de locis Phil. VIII, 28: Cui portas huius urbis patere ius non erat. De orat I, 177: Cui Romae exsulare ius esset. Ac ne ii quidem loci, quibus locutio „fas est“ (= licet) c. infin. coniuncta legitur, apti videntur, quibus dativus possessioni absolutae designandae inserviens confirmetur: Mil. 7: Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. Planc. 56: Non quo mihi fas sit quicquam defugere, quod salus Planci postulet, sed quia . . . . Offic. III, 34: Ac primum in hoc Panaetius defendendus est, quod non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixerit (neque enim ei fas erat sc. dicere), sed ea, quae viderentur utilia. De orat. I, 107: Auctoritatem tuam negligere, Scaevola, fas mihi non esse puto. Fam. X, 28, 1: Interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor. — Prorsus denique a dativi possessivi ratione abhorrere apertissimum est quod exstat Mil. 74: Occidi — eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore nec in libidine —, cui iam nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini. Dativus enim idem fere est atque is quem nacti sumus de rep. VI, 25 (v. s.): Locus . ., in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris. Interpretanda sunt nimirum verba orationis Milonianae: — „Für den es nie — gegeben hat = der nie gekannt s. keinen Begriff gehabt hat von . . .“

Postliminium. De orat. I, 181: Quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset aut pater patratus dedisset, ei nullum esse postliminium.

ηη) Cogant agmen:

Lex. Orat. 198: Quo etiam difficilius est oratione uti quam versibus, quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse. Inv. II, 96: Cum Lacedaemoniis lex esset, ut, hostias nisi ad sacrificium quoddam redemptor praebuisset, capital esset, hostias is, qui redemerat, cum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro coepit agere.

Mos. Verr. V, 27: Ut mos fuit Bithyniae regibus. Inv. II, 69: Cum Thebani Lacedaemonios bello superavissent et fere mos esset Graiis, cum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent, — aëneum statuerunt tropaeum.

Modus. Pis. 86: Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi, qui honorarii?

β) Insigniora absolutae possessionis exempla ea nimirum existimanda sunt, quae grammaticos, si qui rerum corporis animive propriarum possessionem tertio casu ne posse quidem exprimi statuerint, vix verum vidisse persuadeant.

αα) Rerum ad corporis condicionem statumve pertinentium possessionem absolutam non ita convenire orationi Ciceronianae quamvis fateamur, tamen ne id quidem, quod Att. IX, 10, 3 legitur: „Ut aegroto, dum anima est, spes esse dicitur, sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti“, quod vel Schmalz-Wagener laudaverunt, plane spernendum esse censuerimus. Non est, quod dativum „aegroto“ non minus ad „anima est“ referendum esse quam ad „spes est“ commemoremus.

ββ) Aliquanto frequentius ponitur dativus possessivus, ubi animi aliquam vel condicionem vel artem vel actionem in aliquem cadere indicatur. Nobilissimum invenitur exemplum de orat. III, 143: Haec quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit et caeteris silentium fuit (cf. ib. I, 160: Haec quum Crassus dixisset, silentium est consecutum); nec minus, quamvis aliqua ex parte vitiose scriptum, dignum esse videtur, quod spectemus Phil. XI, 37: Ego autem veteranos tueri debeo, sed eos, quibus sanitas est (sic haec leguntur ex Kayseri recensione). Deinde affero Rep. V, 11: Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas. Fragm. phil. F. V, 97: Quae nobis dies noctesque considerantibus — magna spes est — iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore . . . Catil. III, 15: P. Lentulus — magistratu se abdicavit, ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam — praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur (de loco Flacc. 69 aliter interpretando v. i.). Neque multo secus, quandoquidem „urbes“ vim personarum induisse perspicuum est, intelligenda videtur structura Rep. II, 7: Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum. Addenda sunt etiam, si quid nos sentimus, Nat. deor. III, 38: Qualem autem deum intellegere nos possumus nulla virtute praeditum? Quid enim? prudentiamne deo tribuemus, quae constat ex scientia rerum bonarum et malarum et nec bonarum nec malarum? Cui mali nihil est nec esse potest, quid huic opus est dilectu bonorum et malorum? quid autem ratione? quid intellegentia? Parad. II, 16: C. vero Marium vidimus, qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, adversis unus ex summis viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. ib. 17: Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihil, quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. — Postremo huic generi subiungendum videtur Att. I, 17, 1: Nec tantum intelligebam ei esse offensionis, quantum litterae tuae declararunt, nec tantum proficiebam, quantum volebam. Minime vero huic juncturarum speciei adnumerari debet Att. VII, 11, 1: Quaeso, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt: „Cingulum“, inquit, „nos tenemus, Anconem amisimus; Labienus discessit a Caesare.“ Namque pro nomine praedicativo accipienda est vox „tenebrae“, cum subiecta ipsis iis quae subsequuntur enuntiatis contineantur.

Actiones animi quas dicamus sequantur:

Actio. Partit. orat. 99: Atque etiam ante iudicium de constituendo ipso iudicio solet esse contentio, quum aut sitne actio illi, qui agit, aut iamne sit aut num iam esse desierit aut illane lege, hisne verbis sit actio quaeritur.

Contentio. Offic. I, 68: Eripit (sc. gloriae cupiditas) libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.

Consolatio Att. V, 2, 3: Noli putare mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiae, nisi quod spero non longiorem annua fore.

Solatium. Fam. VII, 10, 4: Sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium, quare facilius possim pati te esse sine nobis.

Excusatio. Nat. deor. III, 90: Deo ne excusatio quidem est inscientiae. Phil. VIII, 5: Nullam sibi putavit excusationem esse oportere, cum ad rei publicae praesidium vocaretur. Pis. 10: An potest ulla esse excusatio non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo rei publicae motu consuli? Sest. 112: At cum de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec valetudinis excusationem nec senectutis satis iustam [ullam] putavit.

Odium. Balb. 62: Sed si qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit, quos video esse non nullos, cum ducibus ipsis — confligant.

Respectus. Divin. I, 68: (Audivi) — C. Coponium — dixisse remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum madefactum iri minus XXX diebus Graeciam sanguine, rapinas

Dyrrhachii et conscensionem in naves cum fuga fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore, sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari.

Spes. Verr. III, 168: Certe huic homini spes nulla salutis esset, si publicani, hoc est si equites Romani iudicarent. Fragm. philos. F. V, 97: Quae nobis -- considerantibus — magna spes est . . . . —. Dativus ex iis quae subsequuntur intelligendus videtur Att. III, 15, 6: Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? sin autem spei nihil est, quae est mihi vita?

Studium. ad Qu. fr. I, 1, 29: Nunc quidem profecto isti provinciae contigit, ut is in eam summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuisset et temporis.

γγ) Properamus ad finem huiusmodi exemplorum enumerationis. Restat, ut eas afferamus res possessas, quae non in ipsa hominum natura positae sunt sed externae habendae.

Nomen. Nomen ipsum saepius casu nominativo exprimitur quam dativo. Exstat nominativus de inv. II, 144: Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu — occidit. Caecin. 27: Argentarius Sex. Clodius, cui cognomen est Phormio, nec minus niger nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio. Verr. IV, 118: In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine. ib. 119: Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est. de nat. d. II, 91: Principio enim terra sita in media parte mundi circumfusa undique est hac animali spirabilique natura, cui nomen est aër, Graecum illud quidem, sed perceptum iam tamen usu a nostris. Tusc. IV, 24: Existit morbus et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt, eique morbo nomen est avaritia. Brut. 225: Quos est Sex. Titius consecutus homo loquax sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset.

Dativo nomen expressum legimus Rosc. Am. 17: Nam duo isti sunt T. Roscii (quorum alteri Capitoni cognomen est, iste, qui adest, Magnus vocatur) homines eius modi . . . . Partit. orat. 76: Est igitur vis virtutis duplex: aut enim scientia cernitur virtus aut actione. Nam quae prudentia, quae calliditas quaeque gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur, eius est munus in agendo; cui temperantiae nomen est. Verr. III, 74: Animadvertistis in hoc testimonio, iudices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen est, principem suae civitatis, lacrimantem testari ac dicere . . . . . Leg. II, 62: . . . . . Honoratorum virorum laudes in contione memorentur easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen neniae, quo vacabulo etiam apud Graecos cantus lugubres nominantur.

Denique huc rettulerim Leg. II, 1: Sed visne — locum mutemus et in insula, quae est in Fibreno (nam, opinor, id illi alteri flumini nomen est) sermoni reliquo demus operam sedentes? Div. I, 8: Nam cum ambulandi causa in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est), Perlegi, [ille] inquit, tuum paulo ante tertium de natura deorum. — „A multis varie temptatum recentioribus fere sanum videtur“ quod legimus Leg. II, 5: Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est.

Honos. Nobilissima inveniuntur exempla Tusc. I, 3: Quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis. ib.: Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt. (Huc non quadrat ob praedicativam adiectivi, dativi non possessivam vim Phil. V, 45: Qui honos quamquam est magnus illi aetati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet.)

Ops (translate usurp.). Cat. M. 4: Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, eis omnis aetas gravis est.

Ornamentum. de orat. II, 85: Tantum ego in excellente oratore et eodem bono viro pono esse ornamenti universae civitati.

Delectatio. Fam. VII, 1, 3: Quae potest homini esse polito delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur aut praeclara bestia venabulo transverberatur (cf. ib.: Ne tu haud paullo plus quam quisquam nostrum delectationis habuisti). Dissimilis ob praedicativam pronominis potestatem habenda est natura exempli Nat. deor. I, 22: Quae ista potest esse oblectatio deo?

Voluptas. Fin. II, 9: Estne, quaeso, inquam, sitienti in bibendo voluptas?

Fructus. Marc. 19: Quare gaude tuo isto tam excellenti bono et fruere cum fortuna et gloria tum etiam natura et moribus tuis, ex quo quidem maxumus est fructus iucunditasque sapienti. De orat. II, 355: Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere?

b) Res aliqua ea est quae quid possidet.

Exempla inveniuntur non ita multa. Etenim si merito ac iure neglegere hoc loco nobis videmur dativum qui legitur Catil. II, 27 (Nullus est portis custos), quia talis tertii casus pro genetivo quem vocant usus aliquot locis confirmatur (Cat. II, 11: Huic ego me bello ducem profiteor. Mur. 4: Ac si, ut non nullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causae publice constitueretur, is potissimum .... defensor ... daretur, qui .... adferret ... Rosc. Am. 5: Ego huic causae patronus extiti. Flacc. 74: Tutor his rebus Graecorum legibus adscribendus fuit), ac si locos, quos iam posuimus, quibus rem personae vim induisse significavimus, ex hac exemplorum specie abhorrere censemus, dativum rei iis quodammodo terminis septum teneri arbitramur, ut nulla res possessa indicetur nisi notio illa, quam supra perstrinximus, potestatem alicuius rei designans eaque ubivis fere dativo notionis cogitatae adiecta h. e. „locus". Non defuerunt sane[1]), qui huiusmodi dativum pro finali accipi vellent. Nos vero — ut uberiore explicatione supersedeamus — etsi formis gerundii talem potestatem subiectam esse concedimus (Leg. agr. II, 88: Hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, — ut esset locus comportandis condendisque fructibus), interim prohiberi nos idem sentire fatemur hoc certe exemplo Mur. 87: „Atque ita vos L. Murena, iudices, orat atque obsecrat, si iniuste neminem laesit —, sit apud vos modestiae locus, sit demisso animo perfugium, sit auxilium pudori", cui exemplo adiungi potest locus Offic. III, 117: Ubi primum prudentiae locus dabitur? cf. Fam. VII, 23, 2: Bacchis vero ubi est apud me locus?

Sed aggredimur ad reliqua exempla enumeranda: Cat. II, 6: Non est iam lenitati locus; severitatem res ipsa flagitat. Mur. 12: Maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit. Leg. agr. II, 6: Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem prima illa mea oratione — dixi. Cluent. 202: Recte hoc repetitur a vobis, ut virum optimum — his aliquando calamitatibus liberetis, ut omnes intellegant in contionibus esse invidiae locum, in iudiciis veritati. Post red. ad Quir. 20: Sed hoc inter me atque illum interest, quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis, ego, qua consuevi, utar arte, quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio. Mil. 2: Quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse orationi locum. Ib. 101: Exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus. Acad. II, 106: Memoriam mihi remittas oportet et fateare esse ei locum, etiamsi comprehensio perceptioque nulla sit. De fin. II, 37: Quarum adeo omnium sententia pronuntiabit primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. ib. 78: Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? ib. 85: Neque virtutibus neque amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur, nihil praeterea est magnopere dicendum. ib. III, 66: Quod ni ita se haberet (sc. ad civilem communitatem coniuncti et consociati essemus), nec iustitiae ullus esset nec bonitati locus. Tusc. III, 36: Ne iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci. Divin. II, 19: Qua (sc. fortuna) sublata qui locus est divinationi? ib. 80: Nihil debet esse in philosophia commenticiis fabellis loci. ib. III, 76: Ubi igitur locus fuit errori deorum? Rep. I, 60: Et illud vides — consilio — dominante nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum. Leg. II, 38: Fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Offic. II, 2: Cum — dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, — nec me angoribus dedidi — nec rursum indignis homine docto voluptatibus. Cat. 41: Nec — libidine dominante temperantiae locum esse (sc. Archytas Tarentinus dicebat),

---

1) cf. Reisigii synt. latin. Haasii adnotationibus auctae vol. III ed. J. H. Schmalz et G. Landgraf, § 372, adn. 545.

neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Lael. 52: Haec — est tyrannorum vita nimirum, in qua nulla fides — potest esse, nullus locus amicitiae. ib. 97: In contione rebus fictis et adumbratis loci plurimum est. Fam. VIII, 16, 1: Non mehercules erit deprecationi locus. Att. XII, 38, 2: Ferrem graviter, si novae aegrimoniae locus esset. Brut. 291: Est enim in arte tanta tamque varia etiam huic minutae subtilitati locus. Fam. IV, 3, 4: Tantum dicam, quod te spero approbaturum, me, posteaquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia neque in foro viderem, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse. Fam. V, 16, 4: Quid est enim iam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? Fragm. Ep. E. VIII, 6: Non est semper rectis in suadendo locus. Balb. 35: Sed isti disputationi hic certe nihil est loci.

II. Possessio est determinata (exempla perrara sunt).

Personae (excepto loco de orat. III, 227: In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuique voci) eae sunt quibus huiusmodi possessio obtingit.

a) Possidetur persona (sanguine cum eo qui possidet coniuncta). Verr. act. I, 2, 5: Circumstant te summae auctoritates, quae te oblivisci laudis domesticae non sinant, quae te noctes diesque commoneant fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gravissimum socerum fuisse. Fam. XII, 13, 2: Sunt tibi, M. Tulli, liberi propinquique digni quidem te et merito tibi carissimi.

b) Possidetur res.

α) Rei quae possidetur natura concreta est. Denotantur

αα) Res externae: Parad. VI, 42 (cf. s.): Quem enim intellegimus divitem aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, quoi tanta possessio sit, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit, qui nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius. Fam. IX, 13, 4: Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Leg. II, 5: Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis. Pis. 38: Macedoniam — tantae barbarorum gentes attingunt, ut semper Macedonicis imperatoribus idem fines provinciae fuerint qui gladiorum — atque pilorum. Mur. 51: Tum enim dixit duo corpora esse rei publicae, unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite. Divin. II, 38: Quid est tam perspicuum quam, cum fortuito hostiae adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia?

ββ) Res corporales: Exempla plane desunt.

β) Rei quae possidetur natura abstracta est.

αα) Res in ipsa possessoris natura positae sunt: De opt. gen. orat. 1: Itaque et in tragoedia comicum vitiosum est et in comoedia turpe tragicum; et in caeteris suus est cuique certus sonus et quaedam intelligentibus nota vox. de orat. III, 227: In omni voce — est quiddam medium, sed suum cuique voci. Fam. IV, 5, 6: Quod si qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. ib. VI, 1, 1: Etsi, quocumque in loco quisque est, idem est ei sensus et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum et suarum, tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur. Fin. IV, 65: Hebes acies est cuipiam oculorum, corpore alius languescit. Tusc. I, 70: Quae est ei (sc. animo) natura? Div. II, 22: Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adulescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Att. III, 15, 6: Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? sin autem spei nihil est, quae est mihi vita? (Praedicative dictum est Phil. X, 20: Non enim in spiritu vita est, sed ea nulla est omnino servienti.) Fragm. phil. F. V, 97: — Nobis — magna spes est — iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore. Deiot. 7: Tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid mihi nunc animi sit, ad te ipsum referre. Att. X, 11, 4: Quid mihi animi in navigando censes fore? Cat. III, 16: Erat ei consilium ad facinus aptum, consilio autem neque manus neque lingua deerat. (Rep. II, 59: „Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi". Verba vitiose scripta feruntur.) Flacc. 69: Sua cuique civitati religio, Laeli, est, nostra nobis. Acad. I, 18: Idem fons erat utrisque et eadem rerum expetendarum fugiendarumque

partitio. Tusc. I, 53 et Rep. VI, 27: Quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. (In Plat. Phaedr. 245c, unde haec ad verbum translata sunt, legimus: *καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως.*)

ββ) Ponuntur res externae: Fin. V, 40: Ita similis erit ei finis boni, atque antea fuerat, neque idem tamen. (Rep. I, 14: Mihi vero omne tempus est ad meos libros vacuum.) Rep. VI, 13: Sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Nat. deor. I, 103: Locus quidem iis etiam naturis, quae sine animis sunt, suus est cuique proprius. Phil. II, 87: Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus et in iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Orat. 73: Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quam parum.

Haec habuimus, de genuino quem statueramus dativo possessivo quae dissereremus. Vela iam contrahere et quae praeterea persequi Ciceroniana volebamus interim seponere cogimur spatii huic prolusioni concessi exiguitate. Nec nimis moleste hoc ferimus. Namque vel eos si quibus quae elaborata protulimus pusilla videntur satis perspectum habere spes nos tenet unius utique scriptoris eiusque praestantissimi genere dicendi perpenso contigisse tandem aliquando, ut praeceptum illud grammaticorum quod in disceptationem vocaveramus quantum valeret aliqua ex parte dispiceremus. Est autem, ut res continua commentatione datas unum sub aspectum reminiscendi causa subiciamus, tantum exploratum non solum, ut supra (pag. 13/14) cognovimus, dativum possessioni absolutae designandae inservientem, si modo persona sive concreta res possideatur, abhorrere fere a Ciceronis more loquendi verum etiam abstractarum rerum si quae possideantur usurpationem finibus circumscribi satis angustis. Praeter notiones enim quibus ratio aliqua sive condicio externa indicatur (locus [quinquies et vicies], spatium [semel], tempus [semel], mora [semel], otium [ter], aditus [septies], reditus [quater], latebra [semel], perfugium [bis], portus [semel], facultas [quater], potestas [quinquies et vicies], causa [ter et tricies], commercium [bis], ius [ter], postliminium [semel], lex [bis], mos [bis], modus [semel]) elocutioni Ciceronianae maxime convenientes illas quidem sed a grammaticis nescio quo pacto nimis neglectas semel omnino res corporis propria (anima) posita esse videtur; decies dicitur animi aliqua condicio sive ars (silentium, sanitas, suaviloquens iucunditas, quies vitae, religio, corruptela ac demutatio morum, mali nihil, beatius nihil, nihil certi, tantum offensionis), quater decies actio animi (actio, contentio, consolatio, solacium, excusatio, odium, respectus, spes [ter], studium), vicies bis res externae (nomen [quater decies], honos [bis uno eodemque loco], ops, ornamentum, delectatio, voluptas, fructus; semel et tricies rei possessoris vim sustinenti possessio rei abstractae (locus) data est. Possessionis autem determinatae amplitudinem eam esse repperimus, ut bis omnino persona possideat personam, sexies et vicies a persona res concreta possideatur ac sexies quidem res aliqua externa (possessio, res familiaris, patriae, fines, corpora, exta), vicies, cum duo loci et ob vitiosam scripturam et ob structuram a graeco sermone profectam neglegendi sint, res abstracta (quater decies res in ipsa possessoris natura posita [sonus, sensus, acies oculorum, natura, vita, animus, occasus, consilium, religio, fons], sexies res externa [finis, tempus, locus, modus]).

Scr. Non. Ian. 1892.

Dr. R. Schenk.

Errata.

Pag. 5 v. 34 pro „quae“ l. „quod“.
Pag. 11 v. 17 pro ἐχω l. ἔχω.